

restituenda dare: tunc pro restituenda illa dote potest de rebus restituendis tantum capi, quantum sufficiat ad dotis restitutionem vel solutionem. Et quamuis nec gl. nec Doct. etiam ullam rationem istius extensionis adferant, tamen puto eam posse rectè assignari, quia dicitur apud Philosophos: semper esse eadem principia generationis & corruptionis seu destructionis. Et nihil est tam naturale, quam ut res sic dissoluatur, quemadmodum est antea conflata & constituta, *l. nihil tam naturale. ff. de reg. iuris.* Sed hic in constituenda dote erat datus certus modus in priuilegium: ergo etiam cum soluto matrimonio dos restituitur, & sic dissoluitur, idem modus & priuilegiū erit. Nam est regula generalis, quod solemnitates requisitæ ad contractum, *id est*, ad constitutionem obligationis, requirantur etiam in distractu, *id est*, cum soluitur contractus vel obligatio: ut videmus etiā fieri circa testamenta. Sicut enim dum testamentum cōstituo, requiruntur pro solemnitate septem testes: ita etiam cum volo aliquid in testamento tollere vel mutare, permanente tamen testamento in aliis partibus, ad istam mutationem tot testib⁹ est opus, quot fuit opus in initio in testamento erectione, *ira habetur text. in l. heredes palam. §. si id, quod. ff. de testam.* Tū circa restitutionem dotis, in qua diximus esse eadem priuilegia, quæ antea fuerant in cōstitutione, hoc est intelligendum de dote restituenda, quæ fuit verè numerata, quia non procederet in dote tantum confessata, *id est*, qñ alter ex coniugibus tantum fateret se accepisse ab altero.

29 Exemplum: † Ego cum nō habeam dotē ab vxore mea, tamen deinde quia tractauit me honestè, confiteor & do ei literas obligatorias, quibus confiteor me accepisse ab ipsa in dotem mille: illa dos nō fuit mihi verè numerata, & ideo dicitur tantum Cōfessata, *id est*, habens originem à mea cōfessione spontanea. Nunc finge, me esse grauatum à patre meo bona restituere Titio: me mortuo, vxor vult ut priuilegio istius Auth. & dicere: *Ego video, quod de bonis subiecta restitutioni possit deduci tantum, quantum ad dotem restituendam sufficiat: ideo volo de bonis restituendis detrabere mille pro mea dote, quod superest abeat ad fideicommissarium, an ista rectè petatur?* Et certè nō: quia quod hic disponitur de dote constituenda, & deinde eadem restituenda, hoc intelligitur in casu veræ dotis, & acceptæ dotis, non aut dotis tantum cōfessatæ. Et illa est valde pulchra restrictio nostræ Auth. quam etiam notat gl. in *l. assiduis. in verb. Data. j. qui pot. in pign.* vbi gl. & deinde Bald. not. quod qñ loquamur de priuilegiis dotis, tunc intelligamus de ea

dote, q̄ est vera & accepta realiter, nō autem de dote tm̄ confessata, *ut dicitur in d. l. assiduis.* Præterea † non procederet nostra Auth. in reb. feudalibus, ut tenent feudistæ *in d. cap. 1. §. donare. Qual. ol. feud. alien. pot.* ut si grauo filium meum, ut restituat alicui mea bona. Certè si illa bona omnia sunt feudalia, quæ ad fideicommissarium iure pertinebant, tum non potest filius detrahere aliquid pro sua dote. Quia scimus, quod in rebus feudalibus nulla restatoris dispositio valet, *ut in cap. 1. in princ. de feud. succ. eff.* nisi illa dispositio sic fieret, ut esset conformis ei, quæ esset vltro secuta, me etiam nihil disponente, ut *ibid.* per Dd. Item † non habet locum nostra Auth. in contractibus *31* inter viuos, sed tantum in vltima voluntate. *tra dicit gl. & ibi Bald. in fin. in l. nulla. §. de iur. dot.* Et ideo si ego pater donarem filio meo mea bona, qui est cōtractus inter viuos, & rogarem ut restitueret alicui: certè in restituendo non posset detrahere tantum, quantum ad cōpetentem donationem sibi sufficeret: cum ista Auth. tm̄ loquatur de vltimis voluntatibus, vbi per testamentum institutus filius grauatur restituere. Vltimò † procedit nostra Au- *32* then. tantum in liberis, & ideo vñ extenditur ad fratres, vel ad sorores, imò nec quidem ad parentes. Quia si fratrem meum instituo heredem, & eum grauo restituere Titio, non potest vel pro donatione nuptiali sua, vel pro liberis vltra Trebellianicā quicquam detrahere, quam tamen detractionem facerent liberi. *Ita notat hic Barto. quem sequuntur omnes Dd.* Et est de eo elegans consilium Francisci Aretin. 37. vbi præclare dicit, *quod quandoq̄ liberis conceditur aliquid contra regulas iuris communis, illa concessio non trahitur ad fratres.* Cui sunt argumento, quæ tradit Bald. in *l. fratres. supr. de inoffic. testa.* Nam scitis, quod hodie tantummodo liberis est concessum, ut possint testamenta parentum querelare, *id est*, intentare querelam, quasi sint inofficiosa, vel contra officium parentum facta, quando liberis non relinquatur iusta portio legitimæ. Deinde etiam fratres habent illam eandem querelam contra testamenta fratrum: sed tantum in vnico casu, si frater instituat turpem personam, ut meretricem, tum potest frater in eo casu per querelam testamentum impugnare: tamen liberi dum impugnant, cōsequuntur quartam, quæ est hodie aucta: quod augmentum singulariter, ut scitis, permissum est liberis. Certè dispositum fauore liberorum non trahitur ad fratres: quod etiam fratrum portio sit aucta. Et tantum de hac pulchra Auth. & toto hoc titulo.

IOANNIS SICHARDI ENARRATIONES IN LIBRVM SEPTIMVM CODICIS.

ANNO 1549.

Quomodo & quando iudex sententiam proferre debeat presentibus partibus, vel vna parte absente.

TIT. XLIII.

AD RVBRICAM.

- 1 Continuatio tituli huius.
- 2 De solemnitatibus quæ præcedunt, & sequuntur sententiam, eidemque insunt, & num. 3 4.
- 3 Diuisio Rubricæ.
- 4 Iudex quando æquitatem obseruare debeat.
- 5 Iudex debet proposita habere Euangelia in iudicio.
- 6 Episcopi in inquisitione contra clericos quid obseruare debeant.
- 7 Sententia definitiua vtraque parte absente ferri non potest.
- 8 Duplex est sententia, definitiua & interlocutoria.
- 9 Iudex sententiam à se latam corrigere, emendare, & penitus mutare non potest, nisi sententia esset ipso iure nulla.
- 10 Interlocutoria sententia quando mutari possit.



Ccedamus in nomine Domini ad libr. 7. Codicis tit. *Quomodo & quando iudex debeat proferre sententiam, &c.* quem gloss. hic valde breuiter continuat, hoc modo: Imperator dicturus de sententiis, præmittit, quomodo & quando iudex debeat proferre sententiam partibus presentibus, vel altera parte absente. Quæ continuatio laborat duobus vitiis. Nam primo est valde obscura propter breuitatem. Deinde fit continuatio ad sequentia, nulla habita ratione eorum, quæ præcesserunt: cum tamen cōtinuatio id quod nomen sonat, debeat fieri ad extrema. Ideo † vos sic continuate. Imp. cum iam egisset de nōnullis modis ciuilibus, per quos acquirimus res, ut est vsucapio, deinde p̄scriptio. Nam cum rem mobilem vsucepi vel detinui per triennium, bona fide, quam semper præsuppono, & sic vsucepi vel detinui res immobiles 10. annis inter presentes, & 20. inter absentes, iam illa res dicitur acquisita præscriptione. Sed sunt & alii modi

Quomodo & quando iudex debeat proferre sententiam, &c.